



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Nimis timendum & præuidendum ne offendantur episcopi. cxxxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

alterius. Et quis est qui alterius iudicet seruum? Nā si ista non patiuntur homines, nec Deus Deorū, & dominus dominantium hęc vllatenus patitur. Vnde & per prophetas sibi testes esse dicebat: per quos dominus loquitur dicēs: Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt nō bla-
phemer, & gloriam meam alteri non dabo.

*Nimis timendum & prauidentum ne offendantur
episcopi. Cap. CXXXIIII.*

*Cap. Eua-
risti pap.
6. omni-
bus per
Aegyptū
fratribus
missum.* **N**imis timenda est fratres hęc sentētia, & prauidē-
dum vobis, ne offendatis eos, qui tantam a domino
potestatem habent. Et ideo potius obaudiendi, diligen-
di, & summopere sunt venerandi, & non detrahendi, vel
lacerandi, aut eiiciendi, sed portandi & amandi, ipso di-
cēte domino: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit,
me spernit. Ideo hęc vobis & omnibus fidelibus scribi-
mus, fratres, vt ab his vos caueatis, & posteris vestris non
malum sed bonum exemplū relinquatis, quoniam iniuria
episcoporū ad Christum pertinet, cuius vice funguntur.

*De episcopis qui ab omnibus suis criminantur, vt eorum
criminatio non recipiatur. Cap. CXXXV.*

*Ex epist.
Calist. pa-
pa, ca. 1.* **C**alixtus episcopus Ecclesię catholicę vrbis Roma-
nę, Benedicto fratri & coepiscopo, salutē in Christo.
Criminationes verō contra doctorē nemo suscipiat: quia
nō oportet filios patres reprehēdere, nec seruos dominos
lacerare. Filij ergo sunt doctorum omnes quos instruunt:
& sicut filii patres carnales, sic & hi patres debēt dilige-
re spiritales. Non enim bene viuunt, qui nō rectē credūt,
aut patres reprehēdunt, vel detrahunt suis. Doctores er-
go, qui & patres vocantur, magis portandi, quā repre-
hendendi sunt, nisi in recta fide errauerint. Nullus ergo
doctorum per scripta accusetur, nec nisi fideli & legiti-
mo, qui etiam irreprehensibilem vitam ac conuersationē
ducāt, accusatori respondeat. Quia indignum est, vt do-
ctor stulto & indocto, atque reprehensibiliter viuenti re-
spondeat iuxta stultitiam suam, dicente scriptura. Non
respondeas stulto iuxta stultitiam suam. Non bene viuūt,
qui non rectē credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis